

APPENDIX IV (ad n. 32, p. 90).

DE GALLICANISM ECCLESIASTICI HISTORIA AC SPECIATIM DE DECLARATIONE ANNI 1682.

Totam Gallicanismi ecclesiastici historiam, utpote qui hodie fata sua definitivè explevit, sic paucis comprehendere est :

Gallicanismus ecclesiasticus fuit error circa constitutionem simpli- citer monarchicam Ecclesiae (V. p. 90), qui per 450 circiter annos, à tempore scilicet Concili Constantiensis usque ad Concilium Vaticana- num, varià cum fortunâ exstitit et in duabus quasi phasibus distinc- tus, quarum 1^a *Gersonismus* dici potest, 2^{da} autem *Bossuetismus* (1).

I.

Nonnulla jam ante apud perpaucos Doctores eminuerant Gallicanis- mni ecclesiastici, sicut et aliorum errorum, semina (2), sed quæ non in vulgatum aliquod sistema creverant (3). Tempore autem Ma-

(1) Cfr D. Puyol, op. infra cit.

(2) Hanc certè eamdem in errore progressionem apud Ockamum specia- tim notare est quam apud infelices quosdam hodiè *Veteris-Catholicismi* fautores. Sic enim ille in suis *Dialogis* :

L. V. c. I et II : « Papa canonice electus haereticare potest.... »

C. xxiii, xxiv : « Romana Ecclesia, quæ est à totali congregatione fide- lium distincta, potest contra fidem errare. »

C. xxv, xxvi : « Generale Concilium errare potest contra fidem. »

C. xxviii : « ... Si omnes Prælati et Clerici mundi pravitate inficeren- tur haereticæ, potestas judicandi omnes devolveretur ad catholicos laicos » et fideles... »

Ibid. : «.... Si Christianitas tantum esset pravitate infecta haereticæ, quod » Papa et Cardinales et Prælati et Clerici et Principes et Potentes essent » haeretici, et soli pauci simplices et pauperes in fide manerent catholicæ, » et Concilium reputatum generale contra fidem erraret, aliud non resta- » ret fidelibus quæm dolor et gemitus... » (Ap. Goldast : *Monarchia S. Imperii rom.* T. II, p. 467-498).

(3) Ita enim fatetur ipse Gerson : « Fallor si non ante celebrationem » hujus SS. Constantiensis Synodi sic occupaverat mentes plurimorum... » ista traditio (de plenitudine auctoritatis tum doctrinalis tum disciplinariis

gni Schismatis Occidentalis, quum, propter dubium circa personam Papæ, suprema auctoritas in Ecclesiâ ad *immediatè inferiores* neces- sariò recideret (V. suprà p. 213), multi sibi persuaserunt ita esse semper et ex ordinario jure, etiam sub Papâ certo; atque id confir- mare nisi sunt paritate male desumpta ex ordine civili (cfr suprà p. 85, 95). Ita Gerson et alii, qui etiam per illos *immediatè Inferiores* non Episcopos solos intellexerunt sed omnes quotquot saltem cu- ram animarum habebant (V. suprà, p. 89, 193), imò et versus multitudinismum plus minusve grassati sunt. Attamen favente primùm, sub fine sæc. XVI, magno illo catholico simul ac nationali motu qui *Sancta Liga* dictus est, ac deinde promoventibus Jesuitis cum quibus- dam Doctoribus atque imprimis Andreâ Duvallio sanctimonî aequè ac doctrinâ spectatissimo, plurimi apud nos, in primâ atque omnis boni feracissimâ sæculi XVIIⁱ parte, jam ad veram *monarchia ecclesiastica* ideam redibant (1), quæm famosus Edm. Richer, qui à *Sancta Ligæ* doctrinis apostataverat, Gallicanismum ferè Gersonianum redin- tegrare nisus est (2). Hoc verò ægrè tulit Monarchia civilis quæ sese ad summum erexerat fastigium eo præcisè tempore quo de- creverat Monarchia ecclesiastica; et, inde contra se à pari concludi- timens, illum Gallicanismum penè multitudinistam compressit; favit autem Gallicanismo episcopalitæ quem P. de Marca tunc temporis proposuisse videtur (3); atque inde, 2^{da} Gallicanismi ecclesiastici phasis. Nempe

apud Pontificem Rom.) ut oppositorum dogmatizator fuisset de haereticâ » pravitate vel notatus vel damnatus. » *De Pot. eccl.*, consid. XII ; Opp. T. II, p. 247.

(1) Unde ipse P. de Marca, qui tamen non, ut quidam opinati sunt, *opinioni communis* adhærebatur, ita tunc temporis fatetur : « La plus grande » partie des Docteurs non-seulement de théologie, mais encore de droit, » suivent l'opinion commune (i. e. romanam) et se moquent de celle de » l'ancienne Sorbonne. » (*Mémoire...* l. mox cit. p. 475). — Cfr et Fleury : *Nouv. Opusc.* p. 154, cit. ap. D. Gérin : *Recherches sur l'As- semblée de 1682*, (2^{de} édit.) p. 375.

(2) V. eruditum opus D. Puyol : *Edmond Richer; étude hist. et crit. sur la rénov. du Gallicanisme au comm. du XVII^e siècle*, 2 vol. (Olmer, 1876).

(3) V. in op. prædicto, t. II, p. 466-491, analysim inediti ejusdem *Memorialis* P. de Marca.

II.

Primum quidem, a. 1663, quum Ludovicus XIV occasione quorundam cum Papâ jurgiorum (1) vellet, ad molestiam illi faciendam, ut emitteretur declaratio quædam tum de suâ regali independentiâ, tum, quasi ad eam tutandam (cfr. suprà, p. 226 *not.*), de inferioritate Papæ erga Concilium et consequenter de limitibus Auctoritatis papalis sive quoad disciplinam sive quoad doctrinam, Facultas Parisiensis, non sine obsistentiâ, talem declarationem dedit sex articulis intortam (2). Postea autem, novorum dissidiorum occasione, similem et expressiorem declarationem Rex itidem voluit dari ab ipso Cleri gallicani Conventu. Qui, ex industria ad hoc formatu, a. 1682, *Quatuor Articulos* emisit, Bossuetio, licet invito, redactore; atque hos exinde Rex Facultati obsistenti imposuit et pro lege regni haberi ac ubique doceri jussit (3). Hi porro ferebant :

I «... Reges et principes in temporalibus nulli ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subjici, neque auctoritate clavium Ecclesiæ directè vel indirectè deponi, aut illorum subditos eximi à fide atque obedientiâ ac præstito fidelitatis sacramento solvi posse....

II «... Valeant atque immota consistant S. œcum. Synodi Constantiensis decreta... de auctoritate Conciliorum generalium..., nec quasi ad solum Schismatis tempus dicta... (4)

III « Hinc (5) Apostolicæ potestatis usum moderandum per canones...; valere etiam regulas, mores et instituta à regno et Ecclesiâ Gallicanâ recepta....

(1) Circa hæc juria V. Gerin, op. cit., *Introd.*

(2) Ibid. p. 19.

(3) In his omnibus, V. Gérin, op. cit.; vel brevius Blanc : Lec. CLXXX et ss. — Textum autem integrum Declarationis invenies ap. Gérin, p. 317, vel etiam inter opp. Bossuet : t. IV.

(4) V., infrâ, *Append. IX.*

(5) In hâc voculâ *Hinc* jacet præcipuum hujus Articuli venenum, ut observat doctus Card. Litta (*Lettres sur les 4 Art.*, l. XVIII) : inde enim inuiuit Papam non modò obligari è bono Ecclesiæ sed necessitari è defectu potestatis ad observantium Canonum et *Gallicanarum Libertatum*, utpote quæ ab Auctoritate ipsi superiore manant, uti Gallicani contendeant.

IV « In fidei quoque quæstionibus præcipuas S. Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere, nec tammen irreformabile esse judicium nisi Ecclesiæ consensus accesserit (1). »

Declaratio, quâ talis, ab Alexandro Papa VIII fuit *improbata*, *cassata*, etc. (Bullâ : *Inter multiplices...* 1690), et ab ipso Ludovico XIV aliquatenus retractata (2). *Doctrina* tamen, Româ pro bono pacis tolerante, clerum gallicanum pervasit, licet non sine difficultatibus (3), Jansenistis novum declinatorium indigitavit (V. suprà,

(1) Verisimillimum ostendit D. Gerin (op. cit. p. 343; cfr. et p. 574) posteriorem hujus Articuli partem ita primitus à Bossuetio fuisse redactam : «... Quibus quidem decretis si Ecclesiæ consensus accesserit, tum fixa rataque omnia, nec nisi in ed Capitis membrorumque consensione certum ac tutum, sub quo omnem intellectum captivari necesse sit, Spiritus Sancti judicium agnoscendum. Et hæc sane redactio, que nihil aliud quam regulam in Ecclesiâ tunc temporis reapse obligatoriam enuntiare videtur, multò certè melius ac textus dein à Conventu et ab ipso Bossuetio adoptatus, quadrat cum interpretatione Declarationis à Bossuetio ultimâ traditâ tanquam illius Declarationis arcano (*Def. declarat.*; *Coroll.*, § 8, versus finem, item et *Prævia Dissert.* seu *Gallia orthodoxa*, § 21).

Nec tamen idèo iis assentiri possum, qui Bossuetium volunt mente minime Gallicanum fuisse ; et certè tantum virum malo errantem quam mentientem. Bossuet Gallicanas opiniones imbiberauit ab educatione (V. D. Floquet : *Bossuet précepteur et évêque*, cit. ap. *le Correspondant*, janv. 1865, p. 216), et eas adhuc junior in thesi quâdam manifestaverat (V. in hanc thesim turpi cæteroquin adulatione infectam, *Etudes des P. Jésuites*, juin 1869, p. 910 et ss.). Verùtamen ab omni declaratione ille apertè repugnabat, uti testatur Fleury minimè suspectus (*Nouveaux opusc.*) nec nisi pejoris mali metu eam redigendam suscepit (cfr. infrâ *Append. VI*). Ipsam nihilominus postea suscepit defendendam, et ingrato huic labori usque ad mortem operam dedit, ac tandem, in hoc, totum suum continuo propositum : « Abeat Declaratio quò libuerit : non enim eam (quod » sèpè profiteri juvat) tutandam hic suspicimus. Manet inconcussa et censuræ omnis expers præsca illa sententia Parisiensium....» (*Gallia orthodoxa*, § 11).

(2) V. D. Gérin, ch. xvi.

(3) V., circa resistantiam cleri et violentias Parlamentorum, jansenisticum auctorem libri : *Tradition des faits* etc... (abb. Chauvelin), cit. ap. D. Gerin p. 429, in fine cap. : *Résistances aux 4 Art.*; — item, circa

p. 145, not. 2), atque, in fine saeculi XVIIIⁱ, schismatibus tum *Constitutionalium*, tum postea *Anticoncordatariorum* hinc et inde orientibus praetextus suppeditavit (V. p. 181, in *not.*). — Hanc tamen dein Napoleo I et post eum restaurati Reges sustinere affectarunt. Verum succrescente, ex experientia, cleri gallici in S. Sedem studio, jam plurimi ecclesiastici viri doctrinam illam aut emollire et in sensu conciliatorios detorquere nitebantur, antesignano D. Emery (1), aut eam tandem penitus deserere, imò et acriter insectari coperunt. Et, licet spiritus quidam independentiae non modò erga Reges sed et adversus Episcopos, qui se interdùm huic immiscebatur, eum quibusdam gravibus viris aliquandiu suspectum fecerit, vera tamen ac romana causa de die in diem latius grassata est ac purius, ita ut Gallicanismus tandem, apud clerum presertim, penè obsoletus videretur. Quum autem è *liberalismo*, ut aiebant, *politico*, qui motui illi catholicó aliquatenus faverat, multi in *liberalismum* transiissent *religiosum* (de quo V. infrà *Append. XII*), et, hujus ob excessus, graviter à Româ audiissent, — datâ speciatim a. 1864 Encyclicâ *Quand curd...*, — jam ii perfugium sibi querere coperunt in ipso, quem olim sæpe impugnaverunt, Gallicanismo; et inde illius à Concilio Vaticano condemnationem non opportunam modò sed et « necessariam omnino » fecerunt (V. *Constit. de Eccl.*, in cap. IV) (2); et sic causa finita est, atque apud quoscumque Catholicos finitus error (3).

obsistentiam Seminariorum speciatim, V. notam jansenistici quoque abb. Goujet in Fleury : *Disc. sur les lib. de l'Egl. Gallic.*, p. 8 (édit. 1733).

(1) Qui nempe, in suâ editione libri : *Nouveaux opusc. de Fleury* (cujus V. excerpta ap. Migne, *Theol.*, t. V, p. 1131), totus est, ut ipso Bossuetio duce (*Def. declar. Coroll. § 8*), Articulum IV^{um} trahat ad sensu magis ac magis mitigatos (V. suprà p. 158, *not.*, ac præsertim alium sensum modò indic. p. 373). Obstat verò his benignioribus explicationibus quoddam, in Art. IV^o, judicium Papæ non tantum dicatur *non irrefragabile* sed etiam *non irreformabile* ante consensum Ecclesiae.

(2) Hic legere esset ac meditari tum speciatim de opportunitate hâc, tum generatim de opportunitate qualem Ecclesia ipsam intelligit et variis temporibus semper intellexit, quamdam D. Ad. Dechamps, viri politici, Epistolam ap. diaria catholica, et notatim ap. *Annales Cathol.*, sept. 1873, pp. 553, 595 et 636.

(3) Si quis expetat quasnam *notas* (V. suprà, p. 242) singuli Quatuor Articuli hodiè mereantur, has proponam :

4^{us} nempe, quem Concilium Vaticanum non propriè attigit, dicendus

APPENDIX V (ad n. 38, p. 127).

DE SPURIIS VEL DUBIIS TESTIMONII NONNUNQUAM IN CONFIRMAN-
DUM S. PONTIFICIS PRIMATUM TEMERE ALLEGATIS.

Quia talium allegatio verti posset in fidei nostræ dedecus, imò et in calumniam S. Pontificum quasi ipsi hujusmodi fraudum auctores fuissent, juvat præcipios earum fontes indigitare, ut explicentur simul et præcaveantur.

Sic 1^o allegantur *Falsæ Decretales* seu *Epistolæ canonicae* à *Pseudo-Isidoro Mercatore* vulgatae sub nomine SS. Pontificum præsertim Damaso vel Siricio anteriorum. Harum textum taliter qualiter invenire est, cum doctis jam dissertationibus, ap. Migne, *Patrol. Lat.* t. CXXX. Vera autem ipsarum origo nuperrimè clarius quām anteà explorata est, simul ac textus purior restitutus, ab erudito Protestante D. Hinschius (1). Claret porrò 1^o ipsas, versùs a. 850, fabricatas fuisse non Romæ sed in provinciâ Rhemensi, in Galliis, eo evidenter præcipuo fine ut cuiuslibet episcopi judicium non, ut anteà, ad Metropoli-

nihilominus nobis videtur *hæreseos suspectus*, quippe qui *verisimilius*, ut suprà adnotavimus (p. 258), ipsam excludere intendit auctoritatē Ecclesiæ in temporalibus *declarativam*. Hac autem auctoritas nonnisi absonâ interpretatione diceretur non definita per Bullam *Unam, Sanctam...* (V. p. 264), que certè ex *cathedral* est, imò et à Leone X, « sacro Conc. Later. V. approbante, innovata et approbata est » (in *Constit. Pastor xternus...*, ap. Labbe, t. XIV, p. 313).

2^{us} verò artic. dicendus est ad minus *erroneus* : quod enim habet de sensu et valore absoluto decretorum Constantiensium (cfr. infrà *Append. IX*), opponitur *mediatè* quidem sed *certò* et *evidenter* cum definitionibus SS. Conc. Vatic. de plenâ potestate et infallibilitate Rom. Pontificis.

3^{us} etiam *erroneus*, propter suam cum præcedenti connexionem expressam (V. suprà, p. 372 *not.* 5).

4^{us} demum jam *hæreticus* est, utpote *directè* et *expressè* oppositus cum definitione Conc. Vaticani de Rom. Pontificis infallibili Magisterio.

(1) *Decretales Pseudo-Isidorianæ...* (Tauchnitz, Lipsiæ, 1863). V. Praef., speciatim § 24 : *De consilio Pseudo-Isidori*. — Cfr etiam *Etudes des P. Jésuites*, 1864 nov. p. 474 ; 1866 nov. p. 382 ; *Revue des quest. hist.*, avril 1867, p. 595, etc.

tanum deferretur, sed inter causas majores computaretur S. Sedi immediatè reservatas. Satis autem patet illas 2º non principia constitutionis Ecclesiæ essentialia mutavisse; nec enim potuissent; et hæc cæteroquin documentis anterioribus abundè constant; sed earum tantummodò inservisse evolutioni consequentiarium quæ jam tum in evolutionem tendebant. — Ab illarum tamen citationibus, apud multos autores usque in XVII¹ sæc. initium satis frequentibus, sedulò cavendum est (1).

2º Cavendum est etiam à quibusdam sub nomine Patrum Græcorum textibus, quibus justissimè indignatur doctissimus P. Lequien : « Nulli, inquit, pro Catholicæ et Romanæ Ecclesiæ causâ pejorem operam » navavère quām audacissimi illi imperitissimum è Latinis (missionariis) homines qui, XIII^o sæculo medio, textus varios præclaris gravissimorum Patrum Græcorum nominibus insignitos, omni posito pudore, cuderant, Cyrilli præsertim Alex., J. Chrysostomi, Theodoreti, Maximi, Eustathii Sulcensis, imò Concilii Chalcedonensis; quorum quidem nonnullos S. Thomas in prioribus libris suis, cum nempe contra impugnantes religionem, sub Alex. P. IV, et contra errores Græcorum, sub Urbano IV, scriberet, allegavit, suæque rursùm *Catenæ in Evangelia* inseruit; utpote quos, nullo ipsius ætate criticæ artis apud nos studio vigente, pro genuinis et sinceris haberet; post verè, fraudem utique tandem subodoratus, illos ex toto dimisit, cum *Theologicam suam Summam* conderet. » (Lequien sub nomine Steph. de Altamura : *Panoplia contra schisma Græcorum*, præf. n. 16). — Cfr et Bern. de Rubeis : *In tria prima S. Thomæ Opuscula, admonitio prævia*, cap. II. (2).

3º Cavendum est insuper ab expositionibus Patrum *quoad sensum*, quæ à theologis quibusdam, v. g., ab Alb. à Bulsano (Knoll), bona

(1) Quædam etiam citationes inde jamdudum excerptæ de manu in manum apud theologos non satis cautos ad nos usque ferè transière. Sic illud è fictitiâ, cui Felix papa censetur respondere, S. Athanasii Epistola : « Ob id vos prædecessoresque vestros... in summitate arcæ constituit Christus etc... » — In hanc spuriam Epistolam, V. Opp. S. Athanasii, edit. Benedictin., t. II, p. 676.

(2) Ex hâc, ut puto, officinâ fluxit illud quod nonnunquam adhuc profertur quasi è *Thesauro* S. Cyrilli, ubi nullatenus invenitur : « Omnes Petro jure divino caput inclinant, etc... »

fide factæ sunt, et nonnunquam ab aliis pro citationibus *ad litteram* sumi potuerunt (1).

4º Cavendum est demùm à *Canonibus*, ut aiunt, *arabicis*, quæ, numero 80 vel 84, tanquam Concilii Nicæni proferuntur, et multò explicitius quām 20 Canones ejusdem authentici de Primiâ Pontificis Romani loquuntur. Etsi enim apud varias Communiones orientales etiam separatas reperiantur, generatim tamen à nostris rejiciuntur. V. de his — præter Labbe vel Mansi, t. II, — Rohrbacher, l. XXXI; Wouters : *Dissert.*, t. II, p. 74; Héfélè, t. I, p. 346; — etc.

APPENDIX VI (ad n. 41, p. 142).

ARGUMENTUM FENELONII CIRCA INFALLIBILITATEM PAPALEM, ET
CONTROVERSIA BOSSUETII CUM EPISCOPO TORNACensi.

Excerpta è dissertatione Fenelonii : De S. Pontificis auctoritate (Opp. edit. Versal. t. 2) (2).

CAPUT III.

«.... Omnes Cisalpini (i. e., Gallicani) unitatis amantes credunt apostolicam Sedem esse, ex institutione Christi, æternum catholicæ communionis fundamentum, centrum atque caput.

Atqui luce clarius est apostolicam Sedem non fore æternum catho-

(1) Hujusmodi est illud quod è S. Liguorio, sub nomine S. Irenæi, apud nonnullos alios transivit : « Omnes à Rom. Ecclesiâ necesse est ut pendeant quasi à fonte et capite : » quod non est nisi compendium quoddam loci S. Irenæi suprà cit. p. 118. — Similiter et illud, apud quosdam, sub nomine S. Hieronymi : « Ecclesiæ salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet, etc... » : quod non videtur esse nisi expositio quædam anticipata genuini S. Doctoris textus qui sequitur : « Propterea inter duodecim unus eligitur, etc. » (In Jovin., l. I, n. 26). — Quoad duplum S. Cypriani pericopen, quæ à nonnullis rejicitur, V. suprà, p. 120, not.

(2) Prodiit ap. *Revue polit. et littéraire*, 23 janv. 1875, *Memoriale* quoddam ineditum ac Fenelonio attributum, quod quidem D. Emery alienum ab eo judicaverat, novus autem repertor (D. Gazier) ei restituendum censem rationibus haud dedignandis et refert ad annum 1688. Porrò Fenelonius in hoc, si verè ipsius sit, mentem exhibet valde aliam ab illâ quam

licet communionis fundamentum, centrum atque caput, si *definiret aliquid hæreticum à totâ Ecclesiâ credendum*.

Ergo omnes Cisalpini unitatis amantes credunt, aut saltem credere debent, apostolicam Sedem ex institutione Christi nunquam posse definire *aliquid hæreticum à totâ Ecclesiâ credendum*.

Quod si quisquam illorum meam hanc assertionem in dubium vocet, profectò nec sibi ipsi satis constat, nec satis perspectum habet quid ipse sibi velit, dum hoc fundamentum, caput atque centrum agnoscit. Enimvero credit apostolicam Sedem futuram esse sine ullâ intermissione, in docendâ fide, universalis Ecclesiæ fundamentum, centrum atque caput. Liquet verò sedem quæ *definiret aliquid hæreticum à totâ Ecclesiâ credendum* abscissis à suâ communione quibuslibet dissentientibus (1), non esse in fide docendâ fundamentum, centrum atque caput universalis Ecclesiæ, eo temporis punto quo definiret illud hæreticum : imò esset, eo temporis punto, fundamentum instabile, corruens et ruinæ causa ; esset schismaticum in hæresi docendâ caput ; esset falsatæ traditionis centrum.

1º Hoc fundamentum corruens totam Ecclesiæ arcem ad ruinam impelleret.

2º Schismatis esset caput, quippe quæ excommunicaret eos omnes qui rectè sentirent.

3º Centrum esset falsatæ traditionis, quippe quæ abuteretur suo munere centri, ut falsatam traditionem omnibus extremis Ecclesiæ membris infunderet. Tum certè dici non posset in ullâ fidei formulâ : Credo Sedi apostolicæ ; credo hanc Sedem esse hic et nunc in docendâ

spirat tota *Dissertatio de S. Pontificis auctoritate*, versùs a. 1706 exarata, — licet jam, inter multa confusa adhuc et malè sonantia, emitat quedam principiè quibus postea *Dissertationis* doctrina emergere potuerit. — Nec mirum sanè Fenelonum, quum in aulâ Ludovici XIV versaretur et familiaritate Bossuetii, Fleury, etc. uteretur, illorum subiisse influxum ; imò vix conciperetur quomodo illic ita vivere potuisse si jam tum doctrinam illam admisisset quam postea è curiâ semotus et adversitate ac ipsâ presertim animi piâ submissione eductus perspicue agnovit.

(1) Hic, ut videre est, Fénelon in hac suâ thesi casum solum intendit in quo S. Pontifex suam definitionem anathemate sancit. Ostendimus verò argumentationem, si ad plenam traditionis mentem instituatur et urgeatur, valere etiam in casu quo fides definita injungitur absque anathematis adjecione (V. suprà, p. 140, 141).

fide æternum catholicæ communionis fundamentum, centrum atque caput.

Ergo quicumque fatetur apostolicam Sedem nunquam esse defecturam, sed æternum fore in fide docendâ fundamentum, caput atque centrum Ecclesiæ, aut factio animo id fatetur, aut satis non attendit quid ipse dicat, aut certè fatetur Sedem apostolicam nunquam posse definire *aliquid hæreticum à totâ Ecclesiâ credendum*....

CAPUT VII.

« Dominus Bossuetus, episcopus Meldensis, non ita pridem defunctus, coram testibus fide dignis mihi sœpe narravit ea quæ gesta sunt in generalibus Cleri Gallicani comitiis anno 1682. Hæc autem habebat ejusmodi narratio :

Dominus de Choiseul, episcopus Tornacensis, delectus fuerat ut Cleri Gallicani declarationem de pontificiâ auctoritate scriberet. Scripsit, lecta est. Continuò Meldensis restitit in faciem, eo quod apostolicam Sedem juxta ac personas Pontificum hæresim amplecti posse declararet.

— Atqui nisi id dixeris, aiebat Tornacensis, Romanam infallibilitatem, velis, nolis, adstruas necesse est.

— Neque tu, instabat Meldensis, negare potes fidem Petri in suâ Sede nunquam esse defecturam : id ex promissis aperte constat ; id ex traditione universâ lucidissimè patet.

— Si res ita sit, aiebat Tornacensis, tribuenda est absolutissima, non homini quidem sedenti, sed Sedi infallibilitas : atque adeò fatendum est singula decreta, quæ ab apostolicâ Sede emanant, esse prorsus irreformabilia, et infallibili auctoritate firmari.

Objectionem ita solvere conabatur Meldensis : — Indefectibilis quidem est hujus Sedis fides, neque tamen infallibilia sunt illius judicia.

— Quomodo probas, aiebat Tornacensis, indefectibilem esse hujus Sedis fidem ?

— Id probo ex promissis Christi, aiebat Meldensis ; quandoquidem Christus expressissimè dicit : *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*. En hæc est fides Petri in ejus sede nunquam defectura, si nosces aliquam uspiam gentium ecclesiam, cui promissum esset à Christo, fidem ejus nunquam esse defecturam ; nonne crederes, juxta promissum, fidem ejus nunquam defecturam esse ? Si huic ecclesiæ pro-

missum esset eam semper fore unam ex ecclesiis catholicis et hæreticâ labi expertibus, nonne tibi omnino constaret, hanc ecclesiam semper fore catholicam, atque adeò indefectibilem in catholicâ fide? Quantò magis id te credere oportet de Sede apostolicâ, cui promissum est eam semper fore non solum unam ex catholicis ecclesiis, sed primam omnium catholicarum, ita ut sit æternum fundamentum, caput atque centrum catholicitatis, ad devincendas portas inferi, et confirmandas fratres.

Dum verò Tornacensis hæc singula argutè refellere niteretur, acriùs urgebat Meldensis. — Responde, aiebat peremptoriâ voce, an Sedes apostolica fieri possit hæretica, necne; id est, an possit, necne, hæreticum dogma obstinato et contumaci animo contra dissentientes omnes suæ communionis ecclesias tueri ac definire, ita ut alias sibi adversantes excommunicet? Quidquid dixeris, erit contra te. Si dixeris apostolicam Sedem posse fieri hæreticam, et in tuendâ suâ hæresi schismaticam; ergo, per te, fieri potest, ut caput Ecclesiæ à corpore divellatur, et corpus detruncatum fiat exanime; ergo fieri potest ut Centrum unitatis fidei, sit fidei corruptæ atque hæreseeos centrum. At verò, si dixeris hanc Sedem in fide, cujus centrum est atque caput, deficere non posse; ergo indefectibilis est hujus Sedis fides.

Respondebat Tornacensis: — Ipse, ipse videris, quid tu tibi ipsi reponere debeas. Tuum est æquè ac meum captiosam hanc objectio nem solvere. Ex confesso, hoc argumentum nihil probat, quandoquidem nimis probat. Enimverò si probaret aliquid, certissimè et evidentissimè probaret infallibilitatem Sedis quam tu mecum negas. Si fides Sedis indefectibilis est, necesse est ut hæc Sedes nihil unquam contra fidem definiat. Quid enim à verâ fide magis deficit, quam hæretica contra fidem definitio? Atqui Transalpini, dum infallibilitatem asserunt, nihil aliud volunt præter hanc conclusionem, scilicet, apostolicam Sedem nihil unquam definire posse contra catholicam fidem, atque adeò Papam ex cathedrâ solemnî ritu definientem nunquam contra fidem errare posse. Cave igitur ne gladio tuo te jugules, et stabilias hoc ipsum quod confutare hactenùs studiisti.

Meldensis reponebat: — Iterum atque iterum moneo, distinguendam esse ab infallibilitate judiciorum in docendâ fide, Sedis indefectibilitatem in fide tenendâ. Porro fides hujus Sedis indefectibilis est, ut ex promissione Christi et traditione Ecclesiæ patet; at verò judicia Sedis non sunt infallibilia.

— O rem prorsus incredibilem! aiebat Tornacensis: quo pacto fieri posse existimas, ut quispiam homo qui nunquam in fide deficeret, falli posset in declarandâ rectâ suâ fide, quæ ex hypothesi nunquam esset defectura? Nonne in fide deficeret, si hæresim pro verâ fide credendam esse putaret et definitivâ sententiâ pronuntiaret? Quòd si hæresim pro verâ fide credendam esse nunquam putaret, quomodo circa fidem posset errare? Profectò eo mitiori indefectibilitatis nomine, ipsissimam quam negas Transalpinorum infallibilitatem nobis insinuas, et tibi ipsi periculosisssime illudis. Igitur assigna præcisè ac nitidè in quo differre possint tua hæc indefectibilitas, et illa infallibilitas Transalpinorum.

Tum Meldensis dicebat, promissum quidem fuisse apostolicæ Sedi, eam æternum fore Ecclesiæ catholicæ fundamentum, centrum atque caput, atque adeò eam nunquam fore schismaticam aut hæreticam quemadmodum plurimæ Orientales ecclesiæ, quæ catholicâ communione olim gaudentes in schisma et hæresim tandem prolapsæ sunt.

— Ex promissis constat (hæ sunt Meldensis voces) id nunquam even turum Sedi apostolicæ. Enimverò si Sedes illa circa fidem erraret, non erraret pertinaci et obstinato animo: à cæteris ecclesiis ad rectum fidei tramitem citò revocaretur. Simul atque sentiret se errare, abdicaret errorem. Unde etiam si bono animo forsan aliquando erret, attamen schisma et hæresim usque ad consummationem sæculi declinabit. Itaque hæc Sedes in judicando falli quidem et errare potest circa fidem; sed error ille venialis esset, neque tamen fides Petri in hæc Sede deficeret; quandoquidem hæc Sedes constantissimè vellet purissimæ omnium suæ communionis ecclesiarum fidei adhærere. Non erraret cum pertinaciâ, nunquam vinculum communionis abrumperet (1). Animo et affectu semper esset catholicæ, unde nunquam hæretica esset. Itaque expressissimis promissorum vocibus penitus adhæreo, indefectibilitatem asserens; neque tamen admitto commentiam hanc Transalpinorum infallibilitatem.

(1) Hic ut videre est, retrocedit Bossuet ab adversario pressus, ita ut jam logicè ei admittendum sit (quod certè nunquam voluissent Gallicani), modò Papa anathema *ipso facto* suæ definitioni adjecerit, ipsam fore infallibilem. E tali enim anathemate jam, velint, nolint obsistentes, statim abrumpetur inter eos et Pontificem omne communionis vinculum: quod Bossuet, in hoc loco, concedit nunquam fieri posse.

Finita hæc inter utrumque antistitem altercatione, Tornacensis à scribenda declarationis officio sese abdicavit. Meldensis verò huic muneri obeundo suffectus, quatuor Propositiones, uti etiamnunc exstant, continuò scripsit.

Et hæc sunt quæ nonnulli testes fide digni adhuc superstites, à Meldensi episcopo sæpiissimè narranti mécum audierunt.

CAPUT VIII.

..... Sed hæc est quām maxima utilitas hujus controversiæ, Tornacensem inter et Meldensem episcopos, quod ex eorum propositionibus conflari possit invictum pro Sede apostolicâ argumentum. Major à Tornacensi stabilitur; minorem tuerit Meldensis; conclusio nostra est, neque potest declinari.

— Indefectibilitas fidei in Sede apostolicâ (si sit vera et nunquam intermissa in docendo indefectibilitas), inquietabat Tornacensis, ipsissima est quām temperata Transalpinorum schola adstruere studet, sub alio minus mitigato infallibilitatis nomine.

— Atqui indefectibilitas fidei in hæc Sede, reponebat Meldensis, à nemine docto et catholico negari potest.

— Ergo, inquimus, hoc donum à Deo promissum, quod Cisalpini indefectibilitatem vocant, Transalpini verò infallibilitatis nomine appellari volunt, à nemine docto et catholico negari potest. »

APPENDIX VII (ad n. 43, p. 163).

UTRUM PAPA, JUDICIA CONGREGATIONUM ROMANARUM, QUA TALIA,
APPROBANDO, SUAM IIS ADJICIAT INFALLIBILITATEM?

Nemini dubium est Papam posse delegare suam auctoritatem legislativam, non autem suam infallibilitatem (Cfr observata supra p. 100). Unde — 1º decreta congregationum ubi ea non speciatim et expressè approbavit, vim quidem habent legis disciplinariæ et gravem certè auctoritatem doctrinalem (V. supra, p. 245, n. 66) non verò absolutam infallibilitatem (1) — 2º *E contrario*, si ea non modò appro-

(1) Unus citatur Dominicus Gravina qui infallibilitatem Congregationib

baret sed sua faceret et in suo proprio nomine ederet ac toti Ecclesiæ imponeret, tunc certè infallibilitatem doctrinalem haberent.

Quid verò — 3º, si ea, uti sæpiissimè constat per mentionem authenticam decreto adjectam, *approbavit* quidem ac *publicari mandavit*, sed in nomine tamen ipsius Congregationis à quā prodierunt?

Hic non omnino concordare videntur Auctores. — Quidam nempe, quos memorat Cardenas : (*2da Crisis theologica, dissert. proœm. n. 99*), illic infallibilitatem adesse negarunt è ratione quod, juxta illos, S. Pontifex tunc non loquitur ut Caput universalis Ecclesiæ sed solum ut caput et præses Congregationis. Hanc rationem confutat D. Bouix (*De Curia Rom. p. 479*; atque inde, cum Auctoribus quos citat (Cardenas, Lacroix, etc.), tanquam ex opinione communi, concludit affirmandam esse hujusmodi decretorum infallibilitatem. Verūtamen video aliam negandi rationem afferri à DD. Baillès, olim Episc. Lucionensi ac dein S. Indicis consultore, è quā nempe Papa tunc quidem ageret ut universalis Ecclesiæ Caput et omnium Christianorum Pastor ac Doctor, sed non pro supremæ suæ apostolicæ Auctoritatis plenitudine, ideoque non infallibilitatem suam exercere intenderet (V. supra, p. 160, 161). Quod dictus Præsul ita vividè tuetur : «... Dira-t-on que, puisque le S. Pontife approuve les décrets » (des Congrégations romaines), ils constituent autant de décisions » ex cathédra? Cette difficulté supposerait une ignorance si grossière » dans celui qui ne craindrait point de la soulever, qu'il serait presque » inutile d'y répondre... L'approbation du Pasteur suprême s'adapte » à la nature de l'acte auquel il l'a donnée, et ne change pas l'essence » de cet acte. Ainsi, pour en venir à un exemple, l'approbation d'un » décret de la Congrégation de l'Index donne à la défense de lire, de » retenir, de garder l'ouvrage condamné, le plus haut degré d'autorité » dont cette défense, restant dans les termes d'une prohibition, » puisse être susceptible ; mais cette approbation ne change point » la nature de ce décret. Le S. Pontife approuve chaque jour des » déclarations de la Congrégation du Concile, des décrets de celle » des Rites, des décisions de celle des Evêques et Réguliers, sans

Romanis attribuit, imò et ad quæstiones de facto, in genere, extendit : unde hæc duplice de causâ meritò vapulat et « putidis palpo » appellatur à P. Theoph. Raynaud S. J. : *Corona aurea super mitram Rom. Pont.* (V. supra, p. 128) Subnot. II, ver. vii; Opp. t. X, p. 152.

» entendre ni vouloir parler *ex cathedra*. — Il est bien vrai qu'il entre dans les attributions du Saint-Office de s'occuper des matières de foi, de morale, de faits dogmatiques, etc.; mais il n'entre pas dans l'intention du S. Pontife, quand il approuve ces opérations diverses, de prononcer un jugement *ex cathedrâ*: lorsqu'il le juge nécessaire, il exprime sa volonté dans un bref, une bulle, une constitution apostolique, ou par tout autre moyen qu'il juge convenable, — quelquefois même par un simple décret, mais conçu en des termes qui s'éloignent de la forme ordinaire et qui manifestent l'intention du Pape. » (*La Congrégation de l'Index mieux connue et vengée*, p. 543). — Ita etiam sentire videtur Ballerini, quem dicat « *veras et certas definitiones pontificias, quibus absoluta infallibilitas competit, rarissimas esse* » (*Append.*, § 10, ap. Migne *Theol.* t. III, p. 1254); quod sanè dici non posset de decretis dogmaticis S. Officii, quorum approbatio à S. Pontifice expressa *omitti non solet* (V. D. Bouix, occasione Galilæi, *Tr. de Papâ*, p. 446, 476).

Illam opinionum contrarietatem nobis satis sit exposuisse, quam peritioribus solvendam linquimus.

APPENDIX VIII (ad n. 55, p. 212).

CATALOGUS CONCILIORUM QUÆ APUD CATHOLICOS PRO ÆCUMENICIS HABERI SOLENT.

Octo priora in Oriente celebrata fuerunt; et hæc sunt :

Nicænum I^{um}, a. 325, contra Arianos, — cuius complementum fuit Concilium *Sardicense*, a. 343.

Constantinopolitanum I^{um}, a. 381, contra Macedonianos, etc.

Ephesinum, a. 431, contra Nestorianos.

Alterum Ephesi etiam, a. 449, fuit convocatum contra Eutychianos, sed malè cessit et versum est in *latrocinium* (V. dicta p. 166, in notâ).

Chalcedonense, a. 450, contra Eutychianos.

Constantinopolitanum II^{um}, a. 553, contra *Tria Capitula* (V. p. 167).

Constantinopolitanum III^{um}, a. 680, contra Monothelitas (cfr p. 169, not. 2).

His duobus additum est, C. P., a. 692, concilium in *Trullo* seu

Quinisextum utpote *Quinti* et *Sexti* Concilii generalis completivum quoad disciplinam; sed è solis Græcis constans et parùm S. Pontificibus probatum.

Nicænum II^{um}, a. 787, contra Iconoclastas.

Constantinopolitanum IV^{um}, a. 869, contra Photium.

Sequentia exinde in Occidente celebrata sunt :

Lateranense I^{um}, Romæ, a. 1123, circa *investituras*, etc.

Lateranense II^{um}, a. 1139, ad extingendum schisma Petri Leonis et varias hæreses.

Lateranense III^{um}, a. 1179, contra hæreses illius temporis, Albigenses, Valdenses, etc., et ad restaurandam disciplinam.

Lateranense IV^{um}, a. 1215, sub Innocentio III, de recuperandâ Terrâ Sanctâ, extirpandis hæresibus et restaurandâ disciplinâ. Dicitur illud præcipuè *Magnum Lateranense Concilium*.

Lugdunense I^{um}, a. 1245, ubi Fridericus II Imp. depositus est.

Lugdunense II^{um}, a. 1274, ad reconciliationem Græcorum (V. supra p. 136, not.)

Viennense, a. 1311, ubi extinctus est ordo Templariorum, damnati sunt hæretici Beguardi, etc.

Valde controversum est utrūm Concilium *Pisanum*, celebratum, a. 1409, ad extingendum Magnum Occidentis Schisma (V. infra *Append. XIV*), fuerit, ex parte ipsius Episcopatûs (quum Papa tunc dubius esset), sufficienter œcumenicum. — *Constantiense* autem Concilium, a. 1414-1418, verè œcumenicum fuisse, saltem in certo quodam Sessionum numero, ab omnibus generatim admittitur. Schisma extinxit, et Wicleffistas atque Hussitas damnavit.

Florentinum (quod primò Basileæ convocatum effectu caruerat; — V. p. 209, not. 3) Ferrariae incœptum, ac demum Florentiæ celebratum est, a. 1438-1442, ad reconciliationem Græcorum (V. p. 136, 137 cum notâ.)

Lateranense V, a. 1512-1517, ad Ecclesiæ pacem et morum reformationem (à Gallicanis olim nequicquam rejectum).

Tridentinum, ab a. 1545 ad a. 1563 pluriès interruptum, ad plurima Ecclesiæ dogmata contra Protestantes tuenda et disciplinam instaurandam.

Vaticanum, a. 1869-70, ubi jam damnatus est Gallicanismus.

APPENDIX IX (ad n. 56, p. 213).

DE DECRETIS CONCILII CONSTANTIENSIS CIRCA SUPERIORITATEM
CONCILII SUPRA DUBIUM PAPAM.

I — Expositio : — Constat ex Actis Concilii (ap. Labbe, t. XII, p. 18, 21, vel ap. Mansi : t. XXVII, p. 584, 590), in Sessionibus nempe IV et V, ea lecta esse ac publicata *Capitula per modum constitutionum synodalium, prius per singulas quatuor nationes conclusa et deliberata...*

« Hæc S. Synodus Constantiensis generale Concilium faciens, pro extirpatione ipsius schismatis et unione et reformatione Ecclesiæ Dei in Capite et in membris, ad laudem omnipotentis Dei, in Spī ritu Sancto legitimè congregata, ad consequendum faciliùs, secū riùs, liberiùs unionem et reformationem Ecclesiæ Dei, ordinat, definit, decernit et declarat ut sequitur :

» Et primò declarat quòd ipsa... Ecclesiam catholicam repræ sentans, potestatem à Christo immediatè habet cui quilibet cujuscumque statū vel dignitatis, etiamsi papalis existat, obediere tenetur in his quæ pertinent ad fidem et extirpationem dicti schismatis et reformationem dictæ Ecclesiæ in Capite et in membris.

» Item declarat quòd quicunque cujuscumque conditionis, statū, dignitatis etiamsi papalis, qui mandatis, statutis seu ordinationibus aut præceptis hujus sacræ Synodi et cujuscumque alterius Concilii generalis legitimè congregati, super præmissis, seu ad ea pertinentibus, factis, vel faciendis, obediare contumaciter tempserit, nisi resipuerit, condignæ penitentiae subjiciatur, et debite puniatur, etiam ad alia juris subsidia, si opus fuerit, recurso... »

Postea contra Joan. XXIII variæ ordinantur cautiones, ac demum, iis peractis, transitur ad legendum quædam avisamenta in materia fidei et super materiâ Joannis Hus..., quæ sequuntur hujusmodi sub tenore : « *Tenor avisamentorum in materia fidei...* »

II^o Observationes : — Ea sunt igitur celeberrima de creta, quæ Gallicani asserebant pro suâ opinione de superioritate Concilii supra

quemlibet Papam omnino decisiva esse (1), utpote — 1 — *Concilio ecumenico*, — 2 — *fidem definientis*, imò et — 3 — à S. Pontifice confirmati; nec — 4 — *ad solum Schismatis tempus et dubios Pontifices restringenda* (V. p. 372, art. II Declarationis).

Verùm 1^o valde controvertitur utrūm Concilium Constant., in istis Sessionibus, totius Episcopatûs catholici mentem verè repræsenterit, quum præsertim legitimo non processerit suffragii modo, et graves in ipso Concilio prodierint protestationes (2). — 2^o Neque etiam, ex ipso textu, Concilium ea decreta tulisse videtur per modum definitionis ad fidem, sed tantùm provisionis pro circumstantiis (3). — 3^o Neque ea certè comprehensa sunt in approbatione quam Martinus V sub fine Concilii dedit ad *omnia et singula de creta in materiis fidei per præsens Concilium conciliariter facta* (4). — 4^o Demum, etsi multi tunc temporis Episcopi ac Doctores, præ turbatione Schismatis, doctrinam de superioritate Concilii supra Papam extenderint forsitan quædam Papam aut certè ad Papam scandalosum in moribus (uti deprehendere est ex motivis quæ cum motivo dubii permiscent, ad suam erga Joannem XXIII agendirationem tuendam), illam tamen doctrinæ extensionem nequaquam (quod admodum notabile est) dictis expressè decretis; ipsa enim ex ipso verborum sensu ac toto contextu interpretata, ubi Papam declarant non tantùm obligatum sed et castigabilem ac coercibilem per Concilium, certè non ad alios referenda videntur quām ad Pontifices dubios qui impræsentiarū erant aut forsitan ad alios si qui adhuc ulteriùs in eodem dubio succederent. Iì porro certè, quā tales, tenebantur etiamque cogi poterant ad obediendum tum huic præsenti Concilio, tum etiam alteri, si opus esset (uti jam Pisis fuerat), *legitimè congregato, super*

(1) Non tamen sine contradictione; siquidem Gerson, postquam fassus est doctrinam de plenâ ac supremâ potestate Papæ mentes plurimorum ante Concilium Constantiense occupasse (l. suprà cit. p. 372), conqueritur quòd « post declarationem theologiæ ex principiis luce clariorem et, quod urgentius est, post determinationem et practicationem ejusdem Sanctæ Synodi, inventi sunt qui talia palam asserere non paveant... » (Opp.t. II p. 247.)

(2) V. in hoc Bouix : *De Papâ*, t. I, P. 2^{da} c. VI, § 5, p. 494 et suiv.

(3) V. in hoc præcipue Ballerini : *De Pot. S. Pont. et Conc. gen.*, c. VIII, ap. Migne, *Theol.* t. III, p. 1356 et suiv.

(4) V. præter alios jam cit., Phillips : *Du d. eccl. dans ses sources*, § xxix, p. 297, et suiv.

præmissis, seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis (Cfr dicta p. 213) (1).

Cæterum de iis omnibus punctis adiri possunt Blanc : *C. d'Hist. eccl.*, leç. CXLIV, cum suis auctoribus ; — Roncaglia et Mansi : *Aniadvers. in Nat. Alex.*, sœc. xv et xvi, t. XVIII (ed. 1740) p. 273-293 ; — Mazzarelli : *De Auctoritate R. Pont. in Conc. Gen.*, c. xviii, T. II, p. 362-457 ; — Litta : *Lettres sur les quatre art.*, l. XII-XIII ; — Palma : *Prælect. Hist. eccl.*, t. IV, p. I^a c. iv ; — et alias jam indic.

APPENDIX X (ad n. 59, p. 222, not. 1).

UTRUM EPISCOPI AUCTORITATEM SUAM A DEO IMMEDIATE ACCIPIANT AN MEDIANTE PAPA?

Ad hanc quæstionem jam ritè ponendam, hinc primum eliminare est omnem opinionem quæ jurisdictionem aliquam sive particularem sive generalem (cfr suprà, p. 209 not. 1) à Deo quoquo modo dari in *Ordinatione* assereret (V. p. 219 ; et cfr P. Laynez, S. J., in 1^a parte suæ celebris orationis in Conc. Trid., ap. Pallavicini l. XVIII, c. xv, n. 5, 6, itemque 14 ; et rursùs in 2^{da} orat., l. XIX, c. vi, n. 6).

Hoc autem semoto, si adhuc queratur utrùm Episcopi, in insti-

(1) V. Christophe, *Hist. de la Papauté au XIV^e siècle*, t. III, not. 7, p. 483 ; et alias infrà cit., atque imprimis Mazzarelli, § v. — Atque hinc certè videre est postea Eugenium IV in Instructionibus ad internuntios suos querentem quid Patres, ut aiebant, Basileenses, qui nempè illa duo decreta Constantiensia contra ipsum, Papam nequam dubium, innovare attenterant, « illa extra terminos suos et ad alios casus quam fuerat consensu tituentium intentio, extenderunt in magnum periculum monarchiæ ecclesiasticæ » (ap. Raynald., a 1436, iii). Item et in Bullâ *Moyses...* « sacro approbatè Concilio Florentino » propositiones conciliabili Basileensis damnat « juxta pravum Basileensium intellectum veluti S. Scripturæ » et S. Patrum et ipsius Constantiensis Concilii sensui contrarium » (ibid. a. 1439, xxxi). — (Cæterum, quoad propriam auctoritatem illius quod quidam tam magnificè vocant SS. œcumenicum Basileense Concilium, satis erit observasse ipsum tunc temporis constitisse 5 vel 6 Episcopis et 7 vel 8 Abbatibus !... (Cfr. suprà, p. 209 not. 3).

tutione suâ, jurisdictionem suam à Deo immediatè accipient, an mediante Papâ, jam', ingenuè fatemur, nihil ad hanc quæstionem respondere novimus, quippe quæ nullum nobis exhibet sensum. Auctoritas enim episcopalis non est *entitas* quædam realis quæ sive immediate sive mediatè transmittatur. Nihil aliud est ac divina sanctio actibus illorum hominum promissa quos Papa in munus episcopale miserit. «... Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo » : en tota auctoritas ! Quid ergo amplius requiris ? Ex unâ parte, sanctio illa nulli conceditur nisi ubi et quamdiu Papa illum episcopum esse voluerit; ex alterâ autem, Papa non potest non velle Episcopos esse in Ecclesiâ : hoc enim à Christo constitutum est (1). Omnes in his duobus admittendis consentiunt : ergo non videtur in quo reipsa differant.

At, inquies, different consequentiis : si enim jurisdictione non veniat à Deo nisi mediante Papâ, per Papam semper, sive ex toto, sive ex parte, auferri poterit, si non licet, at certè validè, etiam *absque justâ causâ* ; secùs, si detur *immediatè* à Deo (2). — Resp. : Nego posterius, proindeque nego consequentiarum disparitatem. Sive enim jurisdictione dicatur pendere à consensu Papæ tanquam *medio*, sive solummodo tanquam *conditione*, parùm refert; nunquam *validè* haberi, retineri vel exerceri poterit absque illo consensu. Et certè, si Deus dicatur jurisdictionem *immediatè* dare, ipsam ita dare indubie dicetur quotiescumque Papa aliquem, *sive justâ de causâ, sive non*, instituerit in Episcopum ; ergo pariter eam auferet (i. e., actus illius hominis sancire desinet) ubi Papa eum destituerit *sive justâ de causâ, sive non* (3). — Et secùs, omnis Ecclesiæ ordo in incertum abiret. — Ergo nihil reapse ad consequentias facere potest iste vel ille loquendi modus.

(1) Unde V. quæ observat cl. P. Palmieri : *Tr. de Rom. Pont. Th. XIV*, p. 381. — Cfr et quæ nos adnotavimus suprà, p. 180.

(2) Ita Bouix : *De Episc.*, t. I. p. 60. Cfr et ipsum Pallavic., L. XIX, c. vi, versùs fin.

(3) Contra quosdam Auctores, quos V. ap. Bouix, ibid. p. 366-372. — Huc cfr dicta suprà, p. 366.